

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Impretandorum Svmmorum In Theologia Honorvm Causa
Disputationem Inaugvralem Habendam A Viro ... Carolo
Christiano Erhardo Schmidio Theologiae Professore
Pvblico Ordinario Indicit Praemissio Specime ...**

Griesbach, Johann Jacob Griesbach, Johann Jacob

lenae, [1800?]

VD18 12201812

[Impretandorum Svmmorum In Theologia Honorvm Causa Disputationem
Inaugvralem Habendam A Viro ... Carolo Christiano Erhardo Schmidio
Theologiae Professore Pvblico Ordinario Indicit Praemissio Specime ...

urn:nbn:de:gbv:45:1-11310

Matth. XXV. VI. 41. ὁ ἠτοιμασεν ὁ πατήρ μου, loco τοῦ ἠτοιμασμένου pro-
fitum, nititur fere auctoritate occidentalium tantum testium. Quae enim
e Clemente utroque, Iustino et Hippolyto proferuntur, non satis certa vi-
dentur. Si aliarum familiarum testes consentirent, lectionem hanc, Mil-
lio probatam nec Bengelio displicentem, non repudiandam esse censerem.
Vulgaris enim e comm. 34 invehi hac potuit.

Cap. XXVI. 9. τοῦ μωροῦ claritatis causa adjectum fuit e comm. 12. vel
e Ioanne vel etiam e Marco. Nam vetusti Marci codices id habent, licet
a vulgaribus editionibus abfit. E talibus Marci libris in Matthaeum irre-
pere potuit. Damnatur auctoritate testium ad diversissimas familias perti-
nentium. Ibid. dubium est, utrum τοῖς πτωχοῖς legi debeat, an πτω-
χοῖς. Marcus habet τοῖς, Ioannes autem omittit. Neglectum fortasse fu-
it, quia abesse poterat, nedum debeat. Sed Matthaeus etiam comm. 11
(consentientibus Marco et Ioanne) scripsit: παντα τοῦς πτωχοῦς ἔχετε
μεθ' ἑαυτῶν, ibique nemo id jugulavit. Notandum vero est, nullum pu-
re alexandrinum agnoscere articulum, sed reperiri eum tantum in constan-
tinopolitanis haud paucis et in occidentalibus quibusdam. Hinc suspe-
ctus mihi est.

VI. 22. Cum pro αὐτῶν ἕκαστος αὐτῶν alii habeant ἕκαστος αὐτῶν, alii
αὐτῶν ἕκαστος, alii εἰς ἕκαστος αὐτῶν, alii αὐτῶν εἰς ἕκαστος, alii denique
αὐτῶν εἰς ἕκαστος αὐτῶν, manifestum est, primaevum textum additamen-
tis auctum hic esse. Breviorem ac duriolem lectionem, eandemque for-
tasse genuinam, servavit Origenes: ἤρξαντο λέγειν μητι ἐγώ εἰμι, κυρία;
omissis αὐτῶν ἕκαστος αὐτῶν.

VI. 26. Lectionem *εὐχαριστησας* tuentur codices plerique, (ultra 120.) et in his nonnulli e praestantioribus, velut 1. 11. 13. 106. 124. 131. 209., vt Wetstenianos AK et mosquenses BHV taceamus. Sed pro *εὐλογησας* militant codices textum vetustissimum et excellentissimum plerumque exhibentes, BDL, cum aliis haud paucis. Nec e versionibus certi quicquam effici, neque internis veri iudiciis lis dirimi facile poterit. Nam vel *εὐλογησας* e Marco, vel *εὐχαριστησας* e Luca aut ex 1 Cor. II, 24. irrepfit, sive memoria phantasiave librarium fallente, sive marginali scholio occasionem errori praebente. Itaque dubia res est. Si vero alterutrum eligendum sit, praetulerim equidem *εὐλογησας*, cum propter insignem codicum BDL, ubi consonant, auctoritatem, tum eam praecipue ob causam, quia commate proxime sequente legitur *εὐχαριστησας*, unde librarius, contextum cursim perlustrans, praepropere id arripuisse videtur. Semlerus utrumque vocabulum e textu eliminandum esse censuit, innixus partim codicis 44 et Michaelis patriarchae constantinopolitani, *εὐχαριστησας* omitterentium nec tamen *εὐλογησας* in eius locum substituentium, fide, partim canone, qui quoties eadem fere res diversis vocabulis in diversis codicibus exprimitur, neutrum horum vocabulorum primitus adfuisse, decernit. Sed testes isti nec satis vetusti nec sat graves sunt; canon autem ille neutiquam valet de huiusmodi lectionibus variantibus, quarum una ex altera manifesto exorta est.

VI. 39. Loco *προσελθων* non hoc solum loco, sed (quod non mirari non possumus) etiam in parallelo Marc. 14, 35. permulti diversissimarum familiarum codices exhibent *προσελθων*. Si igitur solam testimonium auctoritatem spectare unice liceret, praeferenda omnino esset haec lectio. Verum sensus ex ea extorqueri vix potest commodus et ad contextam orationem totamque narrationem aptus. Arguantur sane qui suppleri volunt *προς τον της προσευχης τοπον*. Quisnam enim esset in horto Gethsemane iste *προσευχης τοπος*? Nec eorum mihi probatur ratio, qui Matthaeum et Marcum eo consilio *προσελθων* scripsisse conjecerunt, ut indicaretur, Christum primo relictis caeteris discipulis cum Petro, Ioanne et Iacobo ulterius progressum esse, deinde vero, relictis tribus hisce, paullulum appropinquasse rursus ad caeteros discipulos, ut solus precaretur inter
vtram-

utramque discipulorum cohortem, ita tamen, ut et Petrus cum sociis, et reliqui eum precantem audire possent. Hoc si voluerunt Evangelistae, fieri vix potuit, ut confusus et obscurius exprimerent animi sui sensa, quae tamen facillime planissimis verbis declarari potuissent. Quid igitur? Reputemus nobiscum, critice non esse artem mechanicam, quae numerandis sive singulis testibus, sive, quod multo sane est sapientius, testium familiis et classibus, tota absolvatur; sed criticum debere omnia sollerter circumspicere, sensum, contextum, consilium auctoris, loquendi usum, reliqua; nec sententiam prius esse ferendam, quam haec omnia diligenter fuerint excussa et ponderata. Atqui nostro loco vulgatum *προελθων* omnibus veri iudicii internis prae altera eminet lectione, Quin testes quoque producere possumus, ad vindicandum *προελθων* idoneos. Sic enim legunt versiones veteres universae, quarum consonans suffragium, ut alibi jam monuimus, maximi momenti est in iudicandis discrepantiis e mera *graecorum* libratorum oscitantia enatis, e quo genere vocum *προελθων* et *προσελθων* est permutatio. Fatemur quidem, multos utriusque recensionis vetustissimae codices consentire in *προσελθων*: sed doceri nequit, hanc *primitivam* fuisse utriusque *recensionis* lectionem. Occidentales enim libri, e quibus latina versio confecta fuit, habuerunt *προελθων*, quod exprimunt codices latini omnes *), uno excepto cantabrigiensi, qui hoc loco, ut alibi saepe, latina ad graeca sua conformavit et *accedens* exhibuit. Nec alexandrini omnes antiquitus legerunt *προσελθων*. Ut enim copticam, aethiopicam et armenicam versiones taceamus, vaticanus codex, in hac Matthaei parte alexandrinam recensionem secutus, habet, *προελθων*, quod etiam, quantum e collatoris silentio colligere licet, in codice 33 extat. Codex vero 13 hiat, Origenes autem aliique alexandrini patres silent. Ex quibus omnibus patet, salva lege, quam ipsi nobis scripsimus, (Proleg. ad N. T. edit. 2. pag. LXXIX.) nimirum, pro indubie vera habendam esse lectionem, in qua vetustae recensiones cunctae primitus consenserant, praeteriri a nobis posse το προελθων.

*) Apud Marcum etiam latini omnes, praeter unum librum corbejensem, *προελθων* expresserunt.

VI. 42. το ποτηριον et απ' εμου e commate 39 huc invecata videntur. Damnant ea, quamquam non omnes, at complures tamen et graves utriusque recensione veteris testes.

VI. 52. αποθανουνται habent quidem codices 130, sed nullus inter hos est ex antiquissimis ABCDL. Dissident inter se Origenis codices manuscripti, nec Chryostomus in loci hujus lectione sibi constat. Ergo nil definire ausim. Caeterum in graecis bibliis αποθνησκειν s. αποθανεισθαι μαχαίρα saepe, απολεισθια vero μαχαίρα nusquam, quod sciam, legitur. Itaque usitatus fortasse pro minus trito irrepit. Bengelius ad mitigandum sermonem απολουνται in αποθανουνται mutatum esse conjecerat. Nec hoc veri specie caret.

VI. 55. προς υμας et διδασκων absunt a perpaucis quidem, sed bonis libris. Cum in aliis locum mutant, et facile e Marco huc inveni potuerint, nec causa cur omitterentur appareat ulla, suspecta mihi videntur.

VI. 60. Dubitari vix potest, vulgarem textum: οπως αυτον θανατωσωσι και ουχ ευρον. και πολλων ψευδομαρτυρων προσελθοντων, ουχ ευρον. υστερον δε etc. interpolatum additamentisque auctum esse. Verba πολλων ψευδομαρτυρων προσελθοντων retinere equidem malim. Desunt enim in paucis codicibus hodie superstitibus, inter quos nullus est e vetustioribus aut praestantioribus, et omitti facile potuerunt a festinante librario, apographum suum describente e vulgari textus exemplo, in quo verba ista inter duplex και ουχ ευρον interjacebant media. Sed hoc ipsum και ουχ ευρον, bis repetitum, omnino interpolatoris manum prodere videtur. Priore quidem loco desideratur tantum in quatuor codicibus recentioribus, et desuisse videtur, ut deinceps probare conabimur, in codice quodam perdito, e quo hancee lectionem decerpserat auctor ignotus scholii, quod extiterat in margine exemplaris, unde cantabrigiensis codex transcriptus fuit. Verum posteriore loco multorum testium auctoritate damnatur. Nam 1) aberat primitus a recensione alexandrina antiquissima, uti patet e consensu codicum BCL. 102. versionum copticae et armenicae *), et allegatio-

*) Aethiops non prorsus quidem omittit posterius και ουχ ευρον, sed loco illius exhibet: et non potuerunt. Verum haec ipsa lectionis aethiopicae a vulgari discrepantia, suspicionem auget, illud; et non potuerunt, ab interprete vel etiam ab editore fuisse invecatum.

gationum Origenis et Cyrilli alexandrini. 2) Deerat olim in occidentali quoque recensione, id quod testantur codices latini non vulgatae tantum sed antiquioris (italae) etiam translationis, vocabula ista vel omittentes vel diversissimis, ut mox videbimus, modis exprimentes novisque additamentis locupletantes. Cum latinis omittentibus faciunt etiam graeci codices 1. 118. 124. 209. et interpretes sahidicus ac syrus hierosolymitanus, qui omnes per saepe occidentalem textum repraesentant. 3) Lectionem breviorum, utriusque recensione antiquissimae communem, confirmant praeterea Syrus, Arabes, Persae, immo Slavi adeo, in exemplaribus saltem nonnullis. In primis autem 4) curate expendi meretur cantabrigiensis codicis lectio, e qua, si quid iudico, colligi potest, breviorum olim fuisse textum, eundemque in aliis exemplaribus aliter esse lectum, postea vero, instituta plurimum exemplarium inter se comparatione, duas lectiones in unam esse conflatas, indeque vulgarem nostrum textum coaluisse. Scilicet in cantabrigiensis libro legitur; *ὅπως αὐτοῦ θανατωσῶσι, καὶ οὐχ εὖρον τοῦ ἐξῆς, καὶ πολλοὶ προσηλθόν ψευδομαρτυρεῖς, καὶ οὐχ εὖρον τοῦ ἐξῆς. ὕστερον δὲ etc. **). Collata latina versione, e regione graeci textus in isto codice adjecta, deprehendimus latina haecce: *quatenus mortificarent eum, et non invenerunt sequentia. Et multi accesserunt falsi testes, et non invenerunt rei sequentia. Novissime autem etc.* Sed latinum *sequentia* seu *rei sequentia* aequae obscurum est, ac graecum *τοῦ ἐξῆς*. Attamen graecorum cum latinis comparatio hoc saltem docet, non graeca e latinis, sed latina e graecis esse efficta. Quomodo enim: *non invenerunt rei sequentia* graece reddere quisquam potuisset: *οὐχ εὖρον τοῦ ἐξῆς*. Sed quid est *REI sequentia*, quod secundo loco legitur, cum priori loco extet duntaxat *sequentia*?

Cum

*) Primus singularem hanc et difficillimam lectionem illustravit Semlerus in *praeparatione hermeneutica* part. 3. pag. 108. Deinde ipse quoque, *Viri cōτινωτατ* o vestigiis insistens, de eadem in *curis in historiam textus graeci epistolarum Paulinarum* p. 81. eo disputavi consilio, ut hoc exemplo docerem, criticas anuotatiunculas et variorum exemplarium collationes marginibus antiquissimorum codicum olim illitas interdum fuisse. Cum vero istum libellam meum in paucorum manibus esse putarem, Lectoribus, quibus hoc commentariolo prodesse cupio, haud ingratum fore existimaui, si quae ante multos annos illic forisferam, huc transferrem et paullo distinctius explauarem.

Cum nihil in graeco textu reperiatur, quod vocabulo *rei* respondeat, evol-
vendi sunt alii libri latini, circumspiciendumque est, utrum ex his non
nihil lucis afferri queat lectioni cantabrigiensi. Iam vero brixien-
sis codex habet: *non invenerunt culpam*, (quasi *οὐχ εὖρον αἰτίαν* seu *οὐδεμίαν εὖρον*
αἰτίαν ἐν αὐτῷ), colbertinus autem cum duobus aliis: *non invenerunt quic-*
quam in eo s. *in eum*, (velut *οὐδεν εὖρον ἐν αὐτῷ*.) Vocabula *culpam* et
quicquam in eo mera interpretamenta esse, nemo dubitabit. Quo admis-
so, conjicere porro licet, in nonnullos libros nunc deperditos aliud ejus-
dem generis interpretamentum irrepisse: *non invenerunt REVM*, quasi:
οὐχ εὖρον ἐνοχον s. *ἐνοχον θανάτου*. Iam vero si alii libri: *non invenerunt*
sequentia, alii: *non invenerunt reum* habebant, facile utraque lectio com-
mixta, *non invenerunt reum sequentia*, atque hinc novum monstrum: *non*
invenerunt rei sequentia, ab indocto scriba progenitum fuit. Superfunt
autem libri quidam versionis latinae antehieronymianae, qui loco *sequen-*
tia habent *exitum* seu *exitum rei*. Hocce vero *exitum* non e graecis libris
petitum, sed in ipsa latina versione exortum et a latinis efformatum vi-
detur glossatoribus, qui majoris claritatis studio ducti, obscurum *sequentia*
in *exitum*, et obscurius adhuc *rei sequentia* in *exitum rei* transmutarunt.
Certe graecum *το ἐξῆς* e latino *exitum* seu *exitum rei* exculpi vix potuit.
Itaque duae extiterunt antiquitus latinorum librorum classes: alii inter-
pretamentum (*reum, culpam, quicquam in eo*.) in textum admiserant *);
alii, graecum *το ἐξῆς* reddiderant *sequentia*, quod deinceps in *exitum* trans-
formatum fuit. Superest igitur, ut inquiramus, quid significet *το ἐξῆς*,
graeco textui diu ante insertum, quam vetustissimi illi libri latini (vercel-
lensis, claromontanus Evangeliorum, corbejensis 2) exararentur, qui *exi-*
tum legunt. Quis vero nescit, *το ἐξῆς* seu *καὶ τὰ ἐξῆς* saepissime a grae-
cis usurpari, ubi orationis nondum ad finem perductae filum abrumpunt,
aut ubi auctoris cujusdam locum aliquem excitant, sed non integrum.
Sic imprimis commentatores graeci priora tantum sacri contextus paullo
verbosioris, super quo disputare instituunt, vocabula aut incisa praemit-
tere interpretationi solent, omittis reliquis et adjecto *καὶ τὰ ἐξῆς* seu *κ.τ.ε.*
quod aequipollet breviationis siglis apud nos usitatis *seqq.* seu *rel.* seu *etc.*
Quae

*) Etiam Aethiops prius *οὐχ εὖρον* reddidit: *non invenerunt contra eum.*

Quae si applicentur ad nostrum locum, prout graece legitur in cantabrigiensi codice, efficitur, compilatorem hujus textus hoc voluisse: ὅπως αὐτον θανατωσωσι, και οὐχ εὔρον κ. τ. ε. Και πολλοι προσηλθον ψευδομαρτυρες, και οὐχ εὔρον κ. τ. ε. Ὑστερον δε . . . seu latine: *et non invenerunt seqq. Et multi accesserunt falsi testes, et non invenerunt rei (reum) seqq. . . .* Nemini in mentem veniet, quemquam tam fuisse stolidum, ut vellet haec sic contextui sacro ipsi interponi. Manifestum est, margini codicis destinata haec fuisse. Sed dormitans librarius scholion, orae codicis, cantabrigiense vetustioris, adscriptum, in textum intulit. Continebat autem scholion istud margini illitum institutam a quodam rei criticae studioso collationem duorum codicum longe antiquissimorum, quorum alter habebat: ὅπως αὐτον θανατωσωσι, και οὐχ εὔρον, ὕστερον δε etc. seu (ut legitur in BCL aliisque) ὅπως αὐτον θανατωσωσι, και οὐχ εὔρον, πολλων ψευδομαρτυρων προσηλθοντων. ὕστερον δε etc. alter vero: ὅπως αὐτον θανατωσωσι, και πολλοι προσηλθον ψευδομαρτυρες, και οὐχ εὔρον. ὕστερον δε etc. Quae si ita sunt nec nostra nos fallit conjectura, sequitur, vel ex ipso cantabrigiensi codice, licet ipse και οὐχ εὔρον bis exhibeat, effici posse, extitisse olim libros complures nec ad eandem familiam pertinentes, in quibus verba ista semel tantum legerentur, varie tamen immutata vocabulorum serie ac structura. Caeterum, si servato priore και οὐχ εὔρον, posterius, quod potiores testes jugulari jubent, deleas, verba και πολλων ψευδομαρτυρων προσηλθοντων vel simul e textu expellere, vel, omisso tantum και, cum antecedenti και οὐχ εὔρον conjungere debebis. Posterio-rem rationem, quam potiorum testium auctoritas commendat, equidem, ut supra jam professus sum, praetulerim.

Sed haec hactenus. Iam enim ad id deveniendum est, cujus causa praefati haec sumus. Petiit nempe ab Ordine meo, ut in Doctoris Theologiae gradum promoveretur Vir ingenio, doctrina, meritis, scriptisque clarissimus,

CAROLVS CHRISTIANVS ERHARDVS SCHMIDIUS

THEOLOGIAE PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS

qui de rebus ad se pertinentibus narrationem scripto conceptam nobis tradidit hancce:

B

Natus



*N*atus sum Heilsbergae, in pago Saxo - Vnariensi, Remdenfis praefecturae, quae Academiae Ienensis juri subjecta est, d. XXIV. Apr. MDCCLXI. Patrem habui GOTTLIEB LUDOVICVM SCHMID, qui tum temporis coetum sacrum eius loci regebat, postea vero Wenigenienae, prope Ienam, eodem officio functus ibique ante paucos annos senex mortuus est; matrem Beatam Mariam, filiam IESARIAE FRIDERICI WEISENBORNII, Professoris olim theologiae et Superintendentis Ienensis, paucis ex quo natus eram horis morte mihi ereptam. Ne tamen cura, qua puerulis opus esset, materna diu careremus ego et frater, qui mihi erat, natu maior, optimus pater post annum elapsum secundum matrimonii vinculum junxit cum SOPHIA ELISABETH LVDOVICA, FISCHERI, concionatoris olim Loeberschütziensis, filia natu maxima, quae, quum privignos non novercaliter, sed diligentissime curaret, etiam de me tam bene promeruit, ut beneficiorum in me ab ipsa, paucos post patris obitum menses etiam demortua, collatorum piam memoriam, quoad vivam mente sui servaturus gratissima. Eodem illo patre usus quoque sum unico praeceptore et magistro a prima inde pueritia usque ad studiorum academicorum initia. Rei enim familiaris angustiae prohibebant tum praeceptoris privati satis boni, tum scholae publicae usum. Neque vero causam inveni, quare huius alienae institutionis jacturam moleste ferrem. Erat enim pater (cuius laudes quod post mortem praedicem, non immodestiae sed pietati filii tribuant lectores velim) vir ita doctus, ut in pagi concionatorum numero paucos ipse doctiores viderim, linguarum Graecae, Latinae, Hebraicae, Chaldaicae, Syriacae et Franco-gallicae satis peritus, historiarum bene gnarus, literarum artiumque omnium, praesertim earum, quae ad humanitatis cultum faciant, amantissimus, in lectione optimorum veterum scriptorum fere semper occupatus, in instituendis pueris atque adolescentibus per longi temporis, in privatae publicaeque educationis cura praesertim in Livonia transacti, usum ita exercitatus, et ab omni

desidia

desidia laborisque fuga alienus, ut omne illud, quod a muneris sacri officii ipsi vacuum remaneret, tempus filiorum educationi et in bonis literis institutioni dedicaret. Anno aetatis meae XVI. quum literarum causa ad Academiam Ienensem accessissem, Theologiae quidem praeter reliquis disciplinis nomen professus sum, munerique ecclesiastico me potissimum aptavi, neque vero a me impetrare potui, quin res alias, vel cum Theologia coniunctas vel etiam ab ea satis remotas, cognoscendi opportunitate mihi concessa uterer. Non paucas igitur quovis semestri frequentavi scholas eo potissimum consilio, ut quantum fieri posset plurimarum disciplinarum quasi principia, fontes et discendi subsidia ac rationem cognoscerem et ad propria privataque literarum studia satis praepararer. Praeceptores et magistros per quatuor et quod excurrit annos academicos summa cum voluptate audiui, viros doctrinae laude celeberrimos et de me multis modis meritissimos: b. I. E. B. WIEDEBURG in mathematicis, physicis et astronomicis; SUCCOW in rerum naturalium historia, mathefi et rei salutariae cura; WIEDEBURG (nunc professorem Helmstadiensem) et SCHÜTZ in graeca et latina lingua; EICHHORN in historia uniuersali, literaria, lingua latina, graeca, hebraea et arabica; HALLER in syriaca; RUD. LUD. GOTTL. SCHMID (iam concionatorem Sulzbacensem) in ebraea; b. MÜLLER in historia statuum Europae, in archaeologia Germaniae et in notitia bibliothecae Ienensis; b. SCHEIDEMANTEL in notitia statuum Europae; HEINRICH in historia Europae recentissima; ULRICH in uniuersa philosophia, in hermeneutica et critica sacra et arte disputandi; FUCHS in chemia; b. MAURER et VOELKER (iam concionatorem Rotensteiniensem) in arte disputandi; b. DANOVIVM, GRIESBACH et b. WEBER, in omnibus theologiae uniuersae partibus; NICOLAI in physiologia; GRUNER in medicina forensi; LODER in anthropologia medica et historia animalium; BATSCH in chemia et botanica, REICHARD in iure canonico. Quibus quidem omnibus Viris, laude mea maioribus, pro summa, quae mihi adolescenti non solum lectionibus sed etiam priuatis consiliis et librorum



copiis ipsorum liberalissime subvenerunt, benevolentia, gratias habeo, quas possum mente concipere, maximas. Vberimum vero fructum percepisse mihi videor ex eo, quod cum istarum praelectionum perutilium auscultatione jungere nunquam omiserim priuata, ab optimo patre commendata et b. DANOVII praesertim consiliis prudenter directa, legendi, docendi, disputandi, scribendi, sacros sermones habendi studia et exercitia, quibus rebus maxime id effectum esse existimo, ut tum ea, quae audiuissem, non solum chartae, uti fere sit, mandarentur, sed multo etiam usu proprioque commentandi studio mihi familiaria et ad varios usus prompta parataque redderentur, tum etiam ingenii, quantulaecunque sint, vires ad cogitandi verique inuestigandi laborem magis acuerentur atque firmarentur. Finito cursu academico, post examen publicum, a supremo collegio ecclesiastico Vmariensi institutum, anno MDCCLXXXI. muneris sacri candidatis adnumeratus sum. Tum Schanbergae, qui pagus in Marchionatu Barutino situs est, in familia PENSELII, consil. aulici, priuati praeceptoris officio per duo fere annos sum functus. A quo quidem paedagogi munere, quum satis id placeret, tamen eam potissimum ob causam discessi et, Ienam reuersus, cursum doctoris academici tentavi, quia literarum priuatis studiis, mihi suauissimis, vita paedagogica minus fauere quam academica videretur. Magistri philosophiae dignitatem anno MDCCLXXXIV. rite consecutus et stipendio LYNCKERIANO, quod eorum, qui ulterius quam valgo fieri solet in sanctiarum literarum studiis progredi cupiunt, subleuandorum causa liberalissime constitutum est, munificentissime adiutus, priorem vitae academicae partem lectionibus ad sacrorum librorum interpretationem pertinentibus et philologicis in Xenophontis Memorabilia Socratis, posteriorem vero philosophicis in Criticam rationis purae et practicae, in Psychologiam empiricam et Philosophiam moralem dedicaui, nonnullosque libros infra commemorandos eiusdem argumenti scripsi. Sed quum a consilio meo, quod tum cepissem, alienum videretur, ut omnem vitae aetatem reliquam in academicis laboribus

bus



bus consumerem, et quum concionatoris sacri officia, cum priuatis literarum studiis coniungenda, magis omnino placerent, lubenter cessi votis optimi patris, et ut in munere ecclesiastico *Wemigenienae* administrando, *Collaboratoris* nomine, a supremo senatu sacro *Vimariensi*, patri annis et laboribus confecto, adiungerer rogavi et post examen denuo institutum anno *MDCCLXXXIX*, etiam impetraui. Mansit tamen urbs *Iena*, *Wemigenenae* satis vicina, domicilium meum, et academicas lectiones non minori cura et diligentia continuauit. Duobus vero annis in officio sacro administrando elapsis a. *MDCXC*. vocatus sum Professor ordinarius *Philosophiae contemplatiuae* in *Academiam Giesensem*, nec recusavi munus, quod cum studiis meis et consiliis bene consentiret. Ibi quidem docui potissimum *Logicam* et *Metaphysicam* aliasque *philosophiae* partes, nec tamen neglexi exercitia, quae maxime placerent, sacrarum orationum tum *Giesssae*, tum etiam in aliis vicinis locis habendarum, et quum post annum et sex menses, quos *Giesssae* vixissem, opportunitas mihi daretur in patriam carissimam redeundi atque munus aliquod ecclesiasticum cum academicis officiis iungendi, *Giesssam* relinquens, *Ienam* denuo me contuli, ibique a *MDCXCIII*. duplex munus *Diaconi* in aede *St. Michaelis* et *Professoris Philosophiae ordinarii supernumerarii* susceptum gessi. Tum a. *MDCXCVI*. mihi etiam contigit, felici matrimonio iungi cum *Bernhardina Sophia Friderica*, *IOANNIS GVILIELMI SCHMIDII*, *Doctoris et Professoris* tum temporis *Theologiae Ienensis*, filia natu maxima, et voluptati ex literarum studiis perceptae, qua hactenus contentus fuisset, vitae quoque domesticae felicitatem adiicere. Carissimus vero hic socer quum d. *1. Aprilis* anni *MDCXCVIII*. morte praetemptura ereptus esset mihi et *Academiae*, eiusque in locum successisset vir *S. Ven. PAVLVS*, *Th. D. et Prof. a Serenissimis Academiae Ienensis Nutritio-*ribus mihi clementissime demandatum est munus *Professoris Theologiae ordinarii* in hac *Academia* tertii. Dedi quidem omnem operam



operam hactenus, ut officiis cum munere isto publico coniunctis, quantum per vires liceret, satis facerem, et, quum leges Academiae nostrae ita jubeant, ut nemo, nisi Doctor theologiae, Ordini Venerabili theologorum adnumeretur et ad quaevis officia publica Professoris theologiae ordinarii in hac Academia rite gerenda satis idoneus iudicetur, summos et ego hosce in theologia honores a summe Venerabili Theologorum Ordine petiui, qui post rite factam defensionem dissertationis, de Theologia Ioannis apostoli, precibus meis annuendum liberalissime decreuit.

Scriptorum literariorum, in lucem a me hactenus emissorum, indicem ut subiungam, mos iubet et consuetudo.

- 1) Kritik der reinen Vernunft, im Grundrisse zu Vorlesungen; nebst einem Wörterbuche zum leichtern Gebrauche der Kantischen Schriften. Iena 1786. 8. Zweyte Auflage. (ohne das Wörterbuch), Iena 1788. Dritte Auflage. 1794.
- 2) Wörterbuch zum leichtern Gebrauche der Kantischen Schriften. Zweyte vermehrte Ausg. 1788. Dritte Ausgabe 1795.
- 3) De libertate genuina cogitandi, docendi viuendique ab Augustanae confessionis auctoribus re ac verbis commendata. Orat. solennis ex insituto Lynckeriano. Iena 1788.
- 4) De theologia biblica dissertationis pars prima. Iena 1788.
- 5) Ejusd. diff. Pars II. Iena 1788.
- 6) Versuch einer Moralphilosophie. Iena 1790. Zweyte Ausgabe, 1792. Dritte Ausgabe 1795.
- 7) Empirische Psychologie. Iena 1791. Zweyte Ausgabe 1796.
- 8) Grundriss der Moralphilosophie für Vorlesungen. Iena 1793.
- 9) Anleitung zur Menschenkenntniß; aus dem Franz. des Hrn. de la Chambre, überf. mit einer eigenen Abhandlung über den Charakter. Iena 1794.
- 10) Grund-

- 10) *Grundriss des Naturrechts für Vorlesungen*, Iena 1795.
- 11) *Philosophische Dogmatik*, Iena 1796.
- 12) *Predigten*, Iena 1797.
- 13) *Grundriss der Logik*, Iena 1797.
- 14) *Physiologie, philosophisch bearbeitet*. Erster Band, Iena 1798. Zweyter Band, Iena 1799.
- 15) *Grundriss der Metaphysik*, Iena 1799.
- 16) *De ignavia, errorum in religionis Christianae disciplina vulgarium principe causa*. Disput. part. I. Progr. Nativ. Iesu 1798.
- 17) *Eiusd. Pars. II. Progr. Nativ.* 1799.
- 18) *I. W. Schmid's Catechetisches Handbuch*. Erster und Dritter Theil, Zweyte verbesserte Ausgabe, Iena 1799. (nach dem Tode des Vf. der ersten Ausgabe besorgt, mit Verbesserungen, Zusätzen und Vorrede.)
- 19) ~~*Ebendess. Anleitung zum populären Kanzelvortrag*. Dritter historischer Theil, Zweyte vermehrte Ausgabe (nach des Vf. Tode besorgt) Iena 1800.~~
- 20) *Verschiedene Aufsätze und Recensionen in dem Philosoph. Journal*, herausgeg. von Schmid und Snell (Giessen 1793. f.), sodann von mir allein (Iena 1794) u. nachher von Hrn. Prof. NIETHAMMER (Iena 1796. ff).
- 21) *Vorreden zu Leonh. Creutzers skeptischen Betrachtungen und Schwarz Theorie der Mädchenerziehung*.
- 22) *Recensionen und anonyme Aufsätze in der Ienaer Alg. Lit. Zeit. Alg. Deutsch. Bibliothek, in D. Gablers theol. Journale, dem Reichsanzeiger u. a. Zeitschriften*.

Ut igitur summus in Theologia honores CANDIDATUS DIGNISSIMVS more majorum et ritu in statutis praescripto capessat, dissertationem suam inauguralem de theologia Ioannis Apostoli a. d. XXII. Februarii an-

te et post meridiem defendet, finitaque disputatione, et impetrata a Viro Summe Reuerendo et Excellentissimo D. HENRICO EBERARDO GOTTLOBIO PAVLVS, Procancellarii munere fungente, licentia, Theologiae Doctor a me, ad hunc actum legitime constituto Brabeuta, publice renuntiabitur. Quem actum solemnem tit MAGNIFICVS ACADEMIAE PRORECTOR, COMITES ILLVSTRISSIMI, PATRES CONSCRIPTI VENERANDI, CAETERI PROFESSORES ET DOCTORES CELEBERRIMI, VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES GRAVISSIMI, COMMILITONES GENEROSISSIMI ET NOBILISSIMI, ET OMNES CUIVS-CVNQVE ORDINIS BONARVM LITERARVM FAVTORES ARSTVMATISSIMI sua praesentia splendidiorem reddere velint, ea qua quemque docet observantia et humanitate, Ordinis mei verbis, oro atque rogo.

P. P. Ienae, sub sigillo Collegii Theologorum a. d. XXI Februarii MDCCC.

